

in antecedentibus demonstratis. Cujus realem existentiam, ortum, vires, determinationem docebimus.

Quemadmodum verò, præter experimenta, antiquorum Philosophorum ac præcipuè Mosis autoritate, usi sumus ad ostendendū; *aquam* cunctarum rerum materiale principium esse; ita non incongruè nos facturos confidimus, si breviter ostenderimus; unanimum hunc præcipuorum Philosophorum antiquorum consensum fuisse, dari *Spiritum* quendam cuncta procreantem (DEUM verò tanquam cunctarum causarum primam hic semper præsupponimus) quo mediante cuncta vivant & conserventur, cujus item auxilio aqua coaguletur in solida corpora pro seminum varietate varia.

*Hermetem Trismegistum*, præter aquam, Spiritus quoque cujusdam tenuis intelligibilis meminisse in antecedentibus jam monuimus. *Anaxagoras* censuit omnia fuisse prius confusa & indigesta, deinde accessisse *mentem* quæ ea distinguendo & separando mundum effecit.

cit.